

Programma in ipsa Solennitate Pentecostali, Seu Sanctissimi Spiritus Festo

Rostochii: Keilenbergius, 1680

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742505537>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1680. Pfing.

~~A-1256~~ 33.

1680

PROGRAMMA

in ipsa

SOLENNITATE
PENTECOSTALI,

Sen

SANCTISSIMI
SPIRITUS
FESTO,



ab

Universitatis Rostochiensis

RECTORE,

HINRICO DRINGENBERGIO,

Hebr. Ling. & Catech. Sacræ Profes. publ.

Facult. Philosoph. Seniore, hodieque

DECANO,

Propriid. Kal. Junij, ANNO MDCLXXX.

P. P.

Sub Sigillo Rectoratus.



ROSTOCHII,

Typis Viduæ B. FRIDERICI KEILENBERGII,

Acad. Typogr.

M. 1256 33



* * *



Quum hodiernæ maximeqve festivæ solennitatis ita ferat ratio, uti nonnulla de SANCTISSIMO SPIRITU commentandi non tam detur occasio, quam imponatur magè necessitas, sedet utiq; sententia, si licet omnia adferri alia qvirent, nunc saltem de ineffabili ejusdem SPIRITUS processione non diffusius qvidem fari, sed qvæ paginarum videbuntur angustiæ permissuræ, tantummodo delibare. Neq; enim vel sic usque adeò malignè functuri officio, aut à proposito videbimur ablusuri. Controversia certè jam à multis seculis Latinos inter & Græcos, seu occidentalem & Orientalem Ecclesiam agitata est, anqvistumqve, an illa SPIRITUS SANCTI processio à solo vel sit, vel fiat PATRE, an verò à PATRE FILIOQVE simul; Latinis posterius, prius Græcis recentioribus acriter acerbèqve defensantibus. Nos qvidem, uti Qvæstio eò rectius curatiusqve intelligatur, & qvid de re hac totà habendum sit, eò fiat luculentius, historiam certaminis, præsentis super capite longa annorum serie habiti, compendio percurremus. Anno itaq; CCCLXXXI. THEODOSIUS Senior Constantinopoli synodum indixit; cui interfuerunt ad minimum ex Patribus CL. contra Pneumatomachos coelestem adferturi veritatem; idqve ideò præcipuè, qvòd celebratissima Nicæna Synodus de SPIRITUS SANCTI personâ plenè non decrevisset. Hic igitur Symbolo Nicæno inter alia, post hæc verba: *Et in Spiritum Sanctum* (Nicæna formulæ finem) apposuerunt: *Domini et Divini, et ex Patre procedentem.* Nusquam deprehenditur additio: FILIOQVE; sed simpliciter undiqvæqve innuitur, tantum, SPIRITUM SANCTUM à PATRE procedere, definitum esse. Inde qve factitatum, uti

enti postea aliquam multi processionem SPIRITUS à FILIO infician-
di ansam arripent. Insecutis temporibus ortus est Diabolo satus
NESTORIUS, qui duas in CHRISTO personas, divinam & humanam
esse, magno docuit conamine; cui dogmati retundendo, aut falsi-
tati ejusdem demonstrandæ, jussu THEODOSII junioris, Seculi V. an-
no 31. ducenti circiter Episcopi in Ephesina urbe convenerunt.
Ubi principes sustinere partes videres *Cyrillum Alexandrinum*; cui et-
iam duodecim sic satis decantati contra Nestorium conscripti sunt
anathematismi. Sed enim *Theodoretus* illi sese Episcopo opposu-
it, quantum in ipso foret, dictos anathematismos oppositâ vel repre-
hensione, vel contradictione rescissurus. Occasione refutationis
anathematismi 9. negat Spiritus Sancti à Filio processionem.
Placet verba ipsius, sed latinâ jam saltem ex versione, subjicere: Pro-
prium, inquit, si quis dicat Filii Spiritum, ceu ejusdem cum ipso nature, &
ex Patre procedentem, id verò nos quoque simul confitebimur, & tanquam
piam suscipiemus vocem. Quod si verò tanquam ex Filio, aut per Fili-
um existentiam habere dicatur, hoc ut blasphemum & impium rejicem-
mus. Credimus enim Domino dicenti: Spiritus qui ex Patre procedit.
Sed & sacratissimo Paulo, dicenti similiter: Nos autem non Spiritum
mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo patre est. Respondit Cyril-
lus Theodoro rectè solidèqve, interqve alia, post allegatum ex
Epist. ad Rom. IIX. v. 9. oppido illustrem locum, quo Theodoretum
confunderet, pergit, & Procedit, ait, quidem ex Deo & Patre Spiritus
Sanctus secundum servatoris vocem: Sed non est alienus à Filio; Omnia
enim habet cum Patre. Et hoc ipse edocuit, dicens de Spiritu Sancto: omnia
quæcunqve habet Pater mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo
accipiet, & annuntiabit vobis. Ergo clarificavit quidem Jesum Spiritus
Sanctus admirabilia operans; veruntamen ut Spiritus ejus, & non
ut aliena virtus, & eo præstantior, secundum quod intelligitur DEUS. Ita
ille. Ceterum quod *περὸν* attinet, primum in Concilio Tole-
tano IIX. ut vulgò numerari sivevit, Symbolo creditur inserta vocu-
la; FILIOQVE; idqve circa annum CHRISTI 1061. Enimvero
in principio Synodi Symbolum Constantinopolitanum, sicut in sa-
cris Missarum solennitatibus apud eos cantabatur, cum illa additio-

ne: *Et Filio*: ponitur. Postea PIPINUS, CAROLI M. Pater, Anno DOMINI DCCLXVII. Gentiliaci in Gallis Synodum habuit sic satis magnam, in quâ Romanos inter & Græcos de Sancta Trinitate, & de sanctorum imaginibus controversiæ ventilarentur, interque etiam alia dispiceretur, utrum Spiritus Sanctus, sicut à Patre procedat, ita pariter etiam à Filio procederet. Patrem secutus CAROLUS M. synodum non minus amplam de eadem quæstione *Aquis grani* collegit, exque eodem concilio missi Legati abs CAROLO Imperatore ad LEONEM III. Pontificem, sciscitaturi, quidnam ipse de additione illa sentiret, & annon rectè Symbolo appositam esse arbitraretur. Quibus respondit Pontifex piè ac prudenter, sese omnino ita credere, & si quis ad subtiliora illa penetrare possit, sic ei utique credendum esse, si salvus esse velit, statuere. Ceteroqui, quia voculam illam; *Filioque*; Constantinopolitana Synodus Symbolo non adiecisset, addendam ei non esse. Quæ dein intervntu plurium interrogationum circa idem negocium idem Papa reposuerit, videri legique possunt in *Baronianis* Annalibus ad annum MCCCIX. Hoc saltem heic monere non abs re fuerit, non contentum fuisse LEONEM, suadere Francis, ut ne deinceps de processione à Filio adderent; sed Romæ præterea in argentea tabulâ hoc symbolum constantinopolitanum absque illo; *FILIOQUE*; scribi depingique iussisse. Interim non tantum in Hispania, sed etiam quâ Francorum regnum patebat, additio illa cantabatur. Romæ quidem hætenus additum erat nihil; donec postea etiam ibi adjectio illa reciperetur. Quod Græcos attinet, ipsi non saltem vehementer querebantur, Symbolo Constantinopolitano aliquid additum esse, cui nihil adjici, nisi à Synodo Oecumenicâ, posset; verum ipsam etiam sententiam de processione Spiritus Sancti à Filio nimio perè impugnabant. Et jam suâ atate, id est seculo IIX. JOANNES DAMASCENUS lib. I. de fid. orthod. cap. XI. ita ex versione latinâ, quam non minus heic quoque damus, scribit: *Spiritum Sanctum cum dicimus, etiam Spiritum Filii nominamus; sed non ex Filio. Si quis enim Spiritum Christi non habet, inquit divinus Apostolus. Quin & per filium apparuisse, & traditum nobis esse confitemur. Insufflavit enim & dixit discipulis suis:*
Accipite

Accipite Spiritum Sanctum: Quemadmodum ex sole quidem Gradus;
& splendor; ipse enim fons est & radii, & splendoris. Per radium au-
tem splendor nobis traditur; & ipse radius est qui illuminat nos, &
participatur à nobis. Filium autem nec Spiritum dicimus, nec etiam ex
Spiritu. Hæc ita S. Damascenus, admodum modestè, atq; ita, uti
verbis potius, quàm reipsà à Latinis dissentite videatur. Longè a-
cerbius acriusqve PHOTIUS, Patriarcha constantinopolitanus, se-
culo IX. Est quidem, inquit, adversum Latinos acutum ac inevitabile
telum, & ante omnia alia, Dominica vox, quæ feram omnem, omnemqve
vulpem attonitam exterminat & demolitur. Quæ est hæc? Spiritum quæ
ex Patre dicit procedere. Ex Patre Filius Spiritum procedere adstruit.
Et tu auctorem quæris, per quem facias, imò perficias impietatem, dum
fabularis Spiritum ex Filio procedere. Quid utiqve aliud quispiam ac-
cipere quærat, per quod tuum penitus coarguat impium studium? Si tu do-
minicas despicias leges, quis religiosus tuam non abominetur opinionem?
Quid utiqve aliud te de ruinâ erigat? Et quæ sequuntur alia, æqve hor-
rida immoderataqve, quæ apud Etherianum lib. II. de hæresib. cap.
16. visas legasq;. Nobis omnia exscribere nec vacat, nec libet. Ad-
modum diu post, & seculo quidem XI schisma, quod, restituto in pri-
stinam dignitatem Photio, compositum videbatur, tempore LEONIS
IX. P. Romani, & Michaelis Cerularii, Patriarchæ Constantinopol. o-
mnium maximè recruduit; cum Michael Latinos excommunicaret,
quod contra decretum Concilii Ephesini, uti ipse causabatur, parti-
culam, Filioqve, Symbolo adjectassent: Quin Theophylactus etiam
comment. in III. Caput Joan. Latinos omni ex parte reprehendit,
quod Spiritum Sanctum ex Patre Filioqve procedere docerent cre-
derentqve. Non absre fuerit, aliqua non ex Græco quidem fonte i-
pso, sed ex versione tantum latinâ, uti supra aliquoties in aliis facti-
tatum, adscribere. Non intempestivum, ait, fuerit hac occasione dicere,
quomodo habeat Filius Spiritum, & quomodo dicatur Spiritus Filii: Dicit
enim & Apostolus: Spiritum Filii sui in corda vestra misit, clamantem,
Abba Pater. Et iterum, si autem quis Spiritum Christum non habuerit, hic
non est ejus. Sane Latini malè hæc exponentes, & minus rectè intelli-
gentes dicunt, Spiritum etiam ex Filio procedere. Nos autem hoc pri-


num dicimus ad eos, quod aliud sit, esse ex quopiam, & aliud, esse cuiusdam: Ut, spiritus est quidem Spiritus Filii absque dubio, ut ab omni scripturâ approbatur; ceterum esse ex Filio, nulla scriptura dicit. Nec multo post: Dicitur autem Spiritus esse Filii, secundum quod veritas est Filius, & virtus, & Sapientia. Spiritus autem Sanctus & veritatis, & fortitudinis & sapientia Spiritus ab Esaia describitur. Et aliter, quia per Filium hominibus datur, propterea Filii dicitur. Crede igitur tu Spiritum à Patre quidem proficisci, per Filium autem dari creaturæ, atque hic sit tibi canon orthodoxæ doctrinæ. Hæc ita saltem per compendium ex Theophylacto: Nam ceteroqui locus integer longè est diffusior. Tentatum quidem aliquotiens est, uti schisma, quod Latinam inter Græcamque Ecclesias, hanc præcipuè ob causam, exortum erat, tandem plenè componeretur. Et res videbatur sic præclare satis successisse, aut coaluisse scissura, cum Photius, post Ignatii Patriarchæ obitum, adsentiente Joanne IIX. pristina, ut monitum, dignitati restitueretur, eorumque omnium, quæ pro alterutrâ parte gesta forent, *ἀμνῆς* sanciretur: sed enim in novum lis isthæc omnis identidem, etiam post *cerularii* tempora, erupit nervum. Tandem seculo XV. paulloque ante, quam Constantinopolis caperetur, primò Ferraria, post Florentia, præsentente Joanne Paleologo imperatore, celebrata est Synodus, in quâ res hæc accuratissimè disputata & rursus conciliata est; sicut id ipsum ex literis sanctæ unionis visere est: At neque tunc Græci constanti mente perdurarunt, prout Chalcondyle l. vi. narratum. Quid superiore seculo JEREMIAS patriarcha Constantinopolitano responso i. ad Theologos Tubing. scripserit, notius est, quàm ut justo prolixius memorari indigeat. In eadem opinione Meletius est patriarcha Alexandrinus, uti id Epistolâ ad Virum Clariss. Janum Doussam sic satis abundè An. xcvii. ejusdem seculi superioris, exposuit. Denique nec in hunc usque diem aliter Græca docet Ecclesia. Certè longa hac de re disputatio instituta Metrophani Critopulo, Patriarchæ Alexandrino, Confessione Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis, ante hosce lvi. An. Acad. julia transmissa. Cujus plenum argumentum suo legi visique loco potest. Hactenus, quantum paginarum instituti; ratio permittit, Quæstionis de Spiritus S. processione, historia. Ad rem ipsam

iplam quod attinet, errant sine dubio Græci, & satis quidem crasse prolixèq; : Enimvero si vel maximè *κατὰ τὸ πρῶτον* aut verbotenus in Scripturis sacris non reperias, SPIRITUM S. etiam à FILIO procedere; satis id tamen per pronam, facilem, luculentamq; sive sequelam, sive collectionem inde deducitur. Principes, ex quibus id fieri queat, loci sunt Joan. xvii. 10. it, Joan. xvi. 14. in quibus, quæ sint Patris, etiam Filii esse dicuntur; & contra; quæ Filii, non minus Patris; item, quæ Pater habeat, ea verò omnia sua pariter esse, Filius innuit. Hinc confieri argumenta possunt planè stringentia: Si omnia, quæ habet pater, Filii sunt, habet etiam virtutem spirandi; sed omnia, quæ habet pater, CHRISTI sunt; solâ sc. relatione, seu paternitate exceptâ, sive eo, quòd hic sit Filius, ille Pater. E. 2. Evidentius idem ipsum adhuc probare licebit ex eo, quòd dicitur *Spiritus Filium glorificaturus, quia de iis, quæ sunt ipse, accipiet, & Apostolis annuntiabit.* Quin quod dicatur *Spiritus non locutus à semet ipso, sed ea tantùm locutus, quæcumq; ex Filio audiverit.* Quod si enim Spiritus S. id quod loquitur, à semet ipso non loquitur, sed ex eo, quod Filii est, accipit, oritur utiq; etiam à Filio, cum una Persona divina ab alterâ cognitionem non accipiat, tanquam, quæ ignoret, addiscat: omnes enim ex æquo doctæ sapientesq; sunt, ut æquè perfectæ; sed per æternam processionem. Sed jam porro ex Joan. xv. 26. rectè pro nostrâ necitur argumentum sententiâ. Verba sunt: *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre.* Ad quem locum curatissimè adnotatum est *Aquinati Thoma*, quinque esse mittendi modos; è quibus omnibus non nisi is retinendus sequendusve heic fuerit, qui in ordine ipsi est tertius, seu qui sit secundum originè, veluti flos emittitur ab arbore: vel, quod idem est, qui sit per æternam processionem. Alia quæ & ex Scripturis, & ex Antiquitate affèri pro nobis quirent, brevitatis causâ, silentio præterimus. Objectiones Græcorum adeò graves profectò prægnantesq; non sunt, ut à sententiâ nos dimovere nostrâ possint, aut responderi abs nobis ad easdem nequeat. Ceterum id tum curabimus negotium, ubi prolixior super eo ipso, quod jam versamus, capite differendi commentandivè porrigetur occasio. Hoc nunc saltem monere utiq; causariq; eximia fuerit operæ, Græcos, hos præcipuè, qui circa hanc controversiam moderatiores


flores sint, & cum *Photianâ*, de quâ supra, blasphemiâ impietateq; nil
 omninò habeant commercii, hosce, inquam, Græcos, processionem
 Spiritus à Patre cum Evangelio admittentes, & processionem hanc à
 Filio hæctenus nondum agnoscentes, fatentes tamen Spiritum S. ter-
 tiam esse in Deitate hypostasim, verum Deum, ejusdem cum Patre &
 Filio substantiæ, & ipsum Spiritum, Filii esse quòq; Spiritum, non esse
 hæreseos temere (quanquam ab errore, ut brevi ante monebamus,
 absolvi non possint) condemnandos; sed nec abs Latinis, tanquam
 spurca & spuria Ecclesiæ membra, intolerabili ac diro schismate in-
 terueniente, abjectandos. Nobis certè videtur, eo, què posuimus, ca-
 su, Christianam caritatem longè suadere mitiora, nec ullâ ratione de-
 corum aut pium esse, uti ista tam celebris natio, tam ampla Christia-
 norū portio, ad eò inclementer abs nobis vel vapulet, vel excipiatur.
 Sed de hac etiam re alibi diffusius. Abs vobis jam saltem, **STUDIOSI**
O JUVENES! (vos enim compellendi præcipua est & urget utiq; ra-
 tio) requirimus, ut, quanta in Nos DEI sit benignitas, apud quos vera,
 pia, & Catholica de SPIRITU S: viget doctrina, errorum, quales ex-
 tra, de quo commentati sumus, casum, aliquantò minorem, stolidos
 partim, partim impios oppidò multos Satanas in Ecclesiam identi-
 dem invexit, penitus immunis, agnoscatis; & Patri luminum, abs
 quo omnis donatio bona, & omne integrum donum proficiscitur,
 pro limpida veritatis luce & sinceritate doctrinæ clementissimè no-
 bis cenceffâ, gratias agatis; feriisq; hisce pentecostalibus non alibi, quàm
 in cætu sacro compareatis, veritatem Christianæ de Spiritu S. doctri-
 næ & fidei uberius disertiusq; exposituris divini verbi præconibus
 attentè operam detis; id deniq; seriò, inque omni vitâ vestrà agatis,
 ut animi vestri sacratissimi SPIRITUS jugiter templa sint; ipseq;
 & vobis, & conatibus vestris, dictis, factis pro-
 pitius adspirare dignetur.

Valete.





iplam quod attinet, errant sine dubio Græci, & Iu-
lixq;: Enimvero si vel maximè *κατὰ τὸ πρῶτον* au-
pturis sacris non reperias, SPIRITUM S. etiam à
tis id tamen per pronam, facilem, luculentam
collectionem inde deducitur. Principes, ex quibus
sunt Joa. xvii. 10. it. Joa. xvi. 14. in quibus, quæ
esse dicuntur; & contra; quæ Filii, non minus Pater
habeat, ea verò omnia sua pariter esse, Filius in nu-
gumenta possunt planè stringentia: Si omnia,
sunt, habet etiam virtutem spirandi; sed omnia
CHRISTI sunt; solâ sc. relatione, seu paternitate
hic sit Filius, ille Pater. E. 2. Evidentius idem ipsu-
cebit ex eo, quòd dicitur *Spiritus Filium glorificat*
sint ipse, accipiet, & Apostolis annuntiabit. Quin
non locuturus à semet ipso, sed ea tantum locuturus, quæ
erit. Quod si enim Spiritus S. id quod loquitur
quod, sed ex eo, quod Filii est, accipit, oritur uti
una Persona divina ab alterâ cognitionem non
quæ ignoret, addiscat: omnes enim ex æquo docti
æquè perfectæ; sed per æternam processionem. S.
xv. 26. rectè pro nostrâ nectitur argumentum scilicet
Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis,
locum curatissimè adnotatum est Aquinatis Thomæ
*tendi modos; è quibus omnibus non nisi is re-
heic fuerit, qui in ordine ipsi est tertius, seu qui si-
veluti flos emittitur ab arbore: vel, quod idem est,
processionem. Alia quæ & ex Scripturis, & ex A-
nobis quærent, brevitatis causâ, silentio præterim-
corum adeò graves profectò prægnantesq; non
nos dimovere nostrâ possunt, aut responderi abs-
queat. Ceterum id tum curabimus negotium, ut
ipso, quod jam versamus, capite differendi com-
tur occasio. Hoc nunc saltem monere utiq; cau-
operæ, Græcos, hos præcipuè, qui circa hanc con-*



raise pro
s in Scri-
dere; sa-
lam, sive
eat, loci
iam Filii
væ Pater
nferi ar-
ter, Filii
et pater,
eo, quòd
obare li-
is, quæ
Spiritus
lio audi-
non lo-
io, cum
inqvam,
; sunt, ut
ex joan-
ba sunt:
d quem
esse mit-
endusve
originè,
æternam
erri pro-
nes græ-
ententiâ
dem ne-
super eo
porrige-
æ fuerit
modera-
tiores